I

C

CO
C

I

C

CO
c


DISCVRSVS
SVPER
Famosissima quæstione in Consilio regio agitata.

CONVENIATNE
CORONÆ FRANCICÆ AMICITIAS ET FOEDERA POTIVS CVM Catholicis quàm cum Religionis reformatæ, ut prætendunt, Sectatoribus iungere.

Pro Regis Christianißimi & Regni defensione.

AVCTORE
M. de R. olim Regio Advocato

AD
Parlamentum Parisiense.



Lutetiæ Parisiorum.
Apud Josephum Boüillerot,

CIↃ. IↃC. XXVI.

DISCVRSVS SVPER FAMOSISSIMA QVÆSTIONE IN CONSILIO Regio agitata.

DOMINI & Collegæ. Conſilium dare ſapientibus non ſupervacuum modò, ſed etiam temerarium videri ſolet: ſi quid enim opportunum Conſultor attulerit, id iam antè illi cogitatione præviderunt. Si errârit, geminæ notam ſtultitiæ ſubeat, neceſſe eſt: cùm quòd inutile conſilium, tum quòd ſapientibus obtruſerit. Nec ignota mihi quorundam moroſitas, qui bene ſuadentes, tanquam contumelioſos oderunt. Contemni enim ſe arbitrantur, ſi aliud quàm ipſis viſum eſt, in mediũ adferatur: Solos enim ſapere ſe iudicant, alios eſſe vmbras, quod genus hominum cùm in conſilio Principũ dominatur, pernicioſiſſimè ſtultum eſt. Ab eo vos longiſſimè abeſſe experientia docuit, quos auditis cauſis in melius mutare ſententias certum eſt. Primas ſapientiæ partes eſſe nôſtis, ſibi non fidere, aliena non aſpernari. Inſonuit veſtris auribus Henrici Magni regia vox: *Conſilium amici aut bonum eſſe, aut melioris occaſionem, etiam apud ſapientiſſimos.* Eâ cauſâ

Nemo ſapiens ſuo ſolius conſilio nititur.

ego vobis in summo regni fastigio positis, ingenio, doctrinâque cultissimis, vsu rerum exercitatissimis, sapientiâ perfectis, aut bonum consilium, aut melioris occasionem dare decrevi. Adolescenti mihi, cùm primùm ad regias caussas adhiberer, Epistolam senior Magister scribebat, quam ab his verbis inchoabat, DA SAPIENTI OCCASIONEM ET ADDETVR EI SAPIENTIA, DOCE IVSTVM, ET FESTINABIT ACCIPERE. *Prouerb.c.9.§.9.* Hæc ille de me rude sapientiæ tirone amanter: ego de vobis eminentissimis Sapientiæ Themidósque ducibus verissimè vsurpo. De sacrario vestro salutaria regno decreta, de cortina vestra sacra oracula promuntur, fascibus vestris cunctorum se iura submittunt. Occasionem ergò sapientibus offero, nec quicquam decerno, sed quid agendum censeatis dubitator anquiro.

Bellis ardet Europa, bellorum non leve momentum nos sumus, Gens Martia sub Rege fortissimo, simul & iustissimo. Vbique Gallicus vigor omnia permeat, animátque. Nostris auxilijs fretæ Britannicæ classes navigant, Alpium Rhæticarum, & Apennini claustra nostræ legiones insident, auro nostro militat Batavus, nostros delectus, frustra fortis Germania contremiscit, ad Albim & Visurgin nostro robore lacertos movent Reges, Principésque. Magna sunt Gallici nominis encomia, maiora etiam quàm sint, multis esse videntur. Magno tamen constant Patriæ, Magna hîc opum iactura, vi-

rium-

riúmque. Fœderatis ex pactis conventis ſuecurrimus. Sed vires noſtras curſus ille haurit, laſſátque.

Iámq; domi vacuas quatit æger anhelitus arcas.
Quare res digna eſt ſapientiâ veſtrâ, ut iterum diſquiratis; an non expediat miſſis exulibus, exulúmque amicis, Catholicorum, vicinorum, potentium, amicitiam exambire, fœderáq; amplecti? cauſas ac rationes pro familiaritate adferam, vos iudicatote.

Principiò in confeſſo eſt, Principes Catholicos ſtudioſiſſimè, ſinceriſſiméque noſtram amicitiam exoptâſſe, quesîſſe. Epiſcoporum, aliorúmque in promptu ſunt literæ actáque: à nobis verò reiecti, ac contempti in poſtulatione tamen perſtiterunt, quòd illa iudicia non regni aut Regis, ſed impiorum hominum, hæreticíſq; mancipatorum eſſe crederent. Poſtquam verò minis & terroribus egimus, amicè reſponderunt, fortiter ad reſiſtendum ſe parârunt, ut oſtenderent minarum noſtrarum atrocitatem in irritum cecidiſſe, dum ad impauidos animos illiſæ reſilierunt. Nunc etiam cùm noſtris armis, auróque oppugnari ſe ſentiunt, quamvis terroris expertes, ad amicitiam tamen invitant. Salutare igitur eſt homines tam cupidos noſtri, tam potentes, tam amantes, ut ne iniurijs quidem à quærendo fœdere abalienati ſint, toto pectore amplecti, quos nobis in proſperis ornamento, in dubijs auxilio futuros res ipſa ſpondet. E contrario quos amicos ſeligimus, illi nobis amici I.

Catholici Principes Francis amici ſunt, etiam læſi.

Hæretici poſt beneficia accepta inimici.

non fuerunt, non ſunt, non erunt. Quicquid in fœderatos hæreticos expendimus, totum perijt, quia datum eſt ingratis, extortum eſt imperiosâ importunitate, amicos eos nobis noſtra beneficia non fecerunt. Pudet dicere quæ in Senatu Veneto de Gente & Rege noſtro declamata, non nos modò, ſed etiam hoſtes noſtri cognoverunt, vix vallem Telinam occupavimus, cùm illi in valle Chamonica tanquam contra hoſtes & prædones propugnaculum exſtruere decreverunt. De Ducibus noſtris Diguerio & Crequio Sabaudus graviter, & lachrymoſiùs quàm unquam de Hiſpano queſtus eſt, poſtremò filius Sabaudi diſſenſionem inter parentem ſuum & Diguerium eſſe irreconciliabilem profeſſus eſt. nec minor eſt inter Venetos & Covreum, quem ſui tantùm commodi ducere rationem affirmant. Ipſi Griſones tam Ducem noſtrum, quàm regnum ſuſpectum habent, Batavi culpam captæ Bredæ in noſtram tarditatem reliquationémqne contulêre, pacémque facturos ſunt minati. Eadem Danus, Brunoſuicus, Manſfeldius canunt. Gabor aurum nos polliceri, verba dare cauſatus, quieſcit. Importuniſſimè, impudentiſſiméque pecuniam poſtulant, cùm acceperunt, tarditatem accuſant, rei malè geſtæ in nos culpam derivant. Relegite literas Briardi, de la Hai, flagitationes Wenzini, quotidie audimus acerrimos fœderatorum Poſcones, Britannici etiam Legati expoſtulationes, quod ſignum eſt, tot & tam immanibus expenſis nos non amicos

paraſſe

parâſſe, ſed hoſtes, aut ſanè querulos ſocios. At Catholici quibus nihil dedimus, quos offendimus, nobis amiciores ſunt. Malè ergò regno Regiq; conſulunt, qui oſores amare, fovere; amantes odiſſe iubent, & odiendo efficere, ne nos ipſi amare pergant. Illud etiam ut turpe, ita perniciosum eſt. Per unum hominem, qui ad malè agendum venundatus eſt, conſilia, geſta, iura Catholicorum omnia mendaciſſimè referri, tam propudiosâ impudentiâ, quaſi totius Europæ & conſcientiam fallere, & oculos faſcinare poſſet, quæ res in ſummam fraudem calamitatéſque regnum præcipitabit.

Decipitur conſiliū Regium mendace narratione.

II. In amicis prudenter cautéque ſeligendis animaduertere prudentes ſuadent, quorum illi ſunt amici, aut hoſtes, quos iungere nobis ſtatuimus. Exoſum regi miniſtrum, omnes fugiũt, tam videri, quàm eſſe eius amici abnuunt. Regno hoc expedit, quod faciunt privati; ſi enim ad nutum regiæ voluntatis amicitiam vel iungim', vel ſolvimus, nonne ſupremo numini religioſior veneratio debetur? Calviniani omnes Dei ſunt hoſtes, Catholicorum etſi nonnulli peccatores, multi tamen ſunt iuſti, omnes in Dei familia cenſi; Dei ergo inimicis arctiſſimè iungi, Dei amicis infeſtum eſſe, Dei inimicis, ut eius amicos trucident adeſſe, non eſt eius qui placere Deo deſideret. Inimicus amici ſuſpectus eſt, & multò magis amicus inimici. Amicos Dei qui tangit, pupillam oculi eius tangit. Omnis pupillæ tactus acri dolore pulſat, gravis pœna ſi

Hoſtibus Dei amicum eſſe periculoſum.

quis Deo caros persequitur. Amici Calvinistis esse nos possumus, illi nobis non possunt non esse inimici: nam æternum à Deo bellum contra nos tanquam Antichristianos imperatum, sibi persuasissimum habent.

III. Amicitiæ ergo nulla vincula diuturna sunt, nisi firmitatem virtus & religio tribuat, ubi superstitio malefica sanguini inhiat, hominésque impij motus cient, nulla pacta aut iuramenta servantur, nihil opus est à me ista doceri, nostri nos Hugonottæ erudiunt. Iam centum milliones in bella his annis insumpsimus, cùm Hugonottis semper pacem facimus, & belligerare tamen cogimur. non meliore conditione cum Hugonottarum fratribus pax dabitur. Fides est fidei contraria, vota contraria votis, & fata fatis. Cum eo in consilio sedere, in acie stare malo, quocum in templo preces concipere fas est, quocum mihi sacra communia sunt, quocum in beata vita mihi societas speratur, quàm cum eo qui contra meam salutem nefaria vota nuncupat. Acer est stimulus religionis, ne sibi fidum credit, quem Deo credit infidum.

Diversa religio, brevis amicitia.

IV. Verùm ista nimiùm religiosa viris initiatis relinquo, ad nostra, hoc est, politica veniamus. Famam, decus, gloriā, & honestum ipsum spectamus. Gloriosius est nobis, & regi Pijssimo, Iustissimo, Christianissimo, amicitiā iungi summo religionis Antistiti, Cardinalibus, Archiepiscopis, Cæsari, Ducibus orthodoxis, fideli populo, quàm hæreticis ad eos interficiendos auxilia præsta-

Fama regno necessaria.

præſtare. Famâ conſtant, bellè florent regna, fama omni eſt flore tenerior, voce violatur, ſuſpicione læditur; Fama prima regni dos eſt, & tutamen. Ex ſocijs noſtris, multi nos æſtimant impiorum conſortia pijs infeſta nos traducunt, alioqui pietatis amantiſſimos. Quanti operis ſit, excuſare arma Calvinianis contra Catholicos ſociata, Dominus Cardinalis ipſe novit, qui illa duodecim libellis per gnathones ſuos defendẽdo inflamavit. Magna admiratio eſt Potentiæ noſtræ, quâ Hiſpanum Papámq; cogimus Rhætis Vallem Vulturinam redhibere Utinam verò tam magna fama ſit etiam bona, utinam ne invidia traditorum in manus hęreticas orthodoxorum, utinam ne per eam occaſionẽ effuſus animarum ſanguis in omnem æternitatem nos funeſtet: nam utcumque gravioris mali metus Papam, aut Hiſpanum excuſet, nos profectò, qui ad iſta cogimus, totus mundus accuſat. Hîc fama perit regni in præſens, & futurum tutatrix.

V.

Regni ſecuritatem quærimus, & ſi felicior fortuna aſpiret, incrementum opum & finium: hæc fœderati Hæretici præſtare nec volunt, nec poſſunt, verùm de ſecuritate loquar ſola. Nimiùm à nobis remoti ſunt amici & fœderati noſtri; quos offendimus, oſtia quotidie pulſant. Vicinus eſt Britannus, ſed ab eo contra Hugonottas auxilia ſperare non licet, eos ipſe tuetur, regnum deinde ſibi vendicat, & ſpem per Hugonottas adipiſcendi concepit. Sabaudo exiguæ ſunt

Longinquus amicus parum per poteſt; Vicinus hoſtis multum obeſt.

——— *Franco pro nomine vires*, maiores in eũ sumptus fecimus, quàm eius valet Provincia. Batavum dispescit Catholici Belgij longus & potens tractus, populus bellator; cuius hostilitas celeri ictu inferre damna potest, multò antè quàm sonus in Hollandia audiatur. Veneti interpositu Alpium,& vicinorũ, à nobis arcetur, aurum difficillimè mittunt, militē mittere non possunt. Factionibus agitātur, in singulos menses eorũ fœdus periclitatur & labascit. Quicquid pendet à multis, incertum est. Dacus ad Eoos, Danus submotus est ad Arcton, lenta subsidia & barbara, duriora sunt seruitute. Amici in Adria, ad Boream, ad Thulen, Istrique extrema, nec veri tamen amici; verùm illi, quos mala consilia hostes esse cogunt, finitimi sunt, locorum gnari, nostræ levitatis irrisores, ad nocendum expediti. Ex Epiro & Patria nivium amicos accersimus; & ecce ex Belgio, Rheno, Alsatia, Austria, Suevia, Bavaria, Francia orientali, antiqua patria nostra, fidi, fortes, divites, Catholici manus tendunt, & ne barbaris, longinquis, hæreticis, Franciæ sanguisugis, postponantur iustà indignatione flagitant. Quæ nobis causa est hos iniuriâ despectúque exasperare? cur imminentes, nec vnquam frustra formidatos Pyrenæos, Asturum Biscaiorúmque classes irritamus? Cur divitem bellatricémque Genuam æternùm à nobis alienamus? plus verè vrbs illa regno obesse, quàm tota Dania prodesse potest. Ne Burgundos quidem exacerbare oportuit,

Cum vicinis pax colenda.

Gentem

Gentem acrem, & vbi excanduit, animæ prodigam. horum plerosque, si omnes non possumus, officijs, humanitate, vtilitate promissis conciliare suadeo, opportunè adesse possunt. Quisquis aliud suadet, Hugonottis consulit, Regem prodit. Nostrâ solitudine illi ferociunt: Iactant Rupellenses, non timendum regem. Hostes eius esse in limine, amicos trans mare. Civilis doctrinæ imperitus est, qui hostes vicinos, amicos remotos esse suadet. An si regium Palatium ardeat, aquam è Bengala petemus, oceanóve rubro? stultum est fame domi tabescere, triticum Lybicis areis condere. Pax cum vicinis esto. Melior est amicus vicinus, quàm frater remotus. Larus cum piscibus pacem inijt, ut per delphinum ab aquila defenderetur, ille cùm in altum evolare non posset, mortem amici de fluctu spectabat. Carolus Quintus Sabaudo amicitiam & affinitatem petenti, suasit nostrum regem coleret, à quo antè opprimi posset, quàm periculum sibi denunciari. vicinitas bona, est alter fundus.

Periculi porrò, quantum fœdere cum hæreticis pangendo adeamus, eorum propositum clarè demonstrat: Infestiores hostes Rex nullos habet, quàm Hugonottas, eos fœderati nostri, religionis consortio sibi caros, percupiunt esse quàm florentissimos, potentissimósque. Catholici Hugonottas nobis subditos esse exoptant, etiam subsidia conferunt. Quid in mentem nobis venit hostium amicos fovere, hostium hostes oppugnare? Fœderatorum potentiâ crescūt VI.

Amici Hugonottarũ inimici Regis.

animi

animi Hugonottarum, Catholicos nobis amicos nullos esse volunt.

VII. Patuit hoc nuperâ, commodâ quidem initiò, sed serâ, & tandem inutili victoriâ. Batavos victoriæ citò pœnituit, domum recessere, diris execrationibus excepti sunt, quòd fratres interfecissent. Britannus de victoria doluit, victos excepit, auro juvit, classe novâ instruxit, deinde victi aggressi victores, prædas abigunt, oppida capiunt, iunctique fœderatis nostris, quibus subditorum Catholicorum, & Ecclesiarum opes dividimus, pudendam nobis pacem imponere tentârunt. Quicquid moliuntur & agunt, inimicissimis fœderatorum intercessionibus debetur. Malignâ fraude nos circumveniunt, qui hæreticorum nos perfidiæ committunt, cùm in solido fidei Catholicæ, & amore orthodoxorum salus nostra firmanda sit.

Lupus lupum nō vorat.

VIII. Quis tandem nobis auctor fuit, ut ad caducum, non ad felicem parietem opes potentiámque regni acclinaremus? victis, exulibúsque iungimur, potentes, victorésque irritamus. An pulchrum ducimus alienæ calamitatis accessionem fieri? Exules reducere grande opus est. Porsenna Tarquinios iuvare non potuit, res suas affixit. reparare fortunam solius Dei est. victi quid rependent? nil possunt. victores non omissuros ultionem probabile est. Hominibus perditis contra optimos, exulibus contra rerum dominos, egentibus contra opulentos assistimus. Germanam, Hispanam, Italam, Polonam

Fœdus Gallicanum occasio fœderis Catholicorum.

poten-

potentiam noſtro periculo, exulis commodo in nos commovemus. Cui tantum in regnum li- cuit, ut tam damnoſi conſilij auctor eſſe aude- ret? Vinci tantas vires à nobis non poſſe, Bre- da, Liguria, Alpes, & Germania docuit, interim bellis non profuturis atteritur Gallia, miſeros non ſublevat, fortes inimicat. Diſcriminis ma- gnitudinem perpendere obnoxios neceſſe eſt. Pontifex, Cæſar, Hiſpanus, Polonus, Germaniæ, Italiæque Principes & Magnates, fortè & Ga- bor, imò & Veneti, fœdus potentiſſimum, ar- ctiſsimúmque moliuntur, quâ re Auſtriaca po- tentia, eorúmque qui Auſtriacis iuncti ſunt, in immenſum creſcit: unde tantum malum? Iam ante biennium Senatus regius prædixit fore, vt noſtrum cum hæreticis fœdus, pariat novum & formidabile, ſed Catholicum fœdus. Quin ergo vel illi fœderi nos quoque iungamur, aut impe- diamus, aliquos ad nos attrahamus, aut ſanè pu- blicè palámque noſtrum eiuremus, ſic enim il- lud elangueſcet, quod nunc mutuæ ſalutis ſolli- citudine, curâque feruet. Multi ſunt Poten- tium amici, ſuadet enim hoc tutela ſalutis; nulli ſe Potentium profitentur inimicos, niſi quibus perire decretum eſt, aut quos furor præcipitat, diſciplina, ratióque non gubernat.

Ne porrò pericula noſtra ignoremus, ne ter- riculamentis Principes Germaniæ fugare nos putemus, iam omnia aperuere Confidentes è Polonia, Venetorum Agens è Dacia, conſonant exploratorum literæ; Inventam eſſe ab Auſtria- IX.

cis,

cis, eorúmque fœderatis rationem, quâ sine magno Germaniæ damno Infinitam Vngarorum, Cosaccorum, Heiduccorum, Croatarum, multitudinem in Galliam, aut in Helvetiam, si nostris illi se partibus iungant, traducere valeant. Iámq; parati essent illi Dano hospites, nisi Saxonis & Brandenburgici intercessione, regi non diviti parcitum fuisset. Sed neq; eadem erat Gentium illarum in Daniâ eundi, quæ est in Galliam alacritas; tot millia Polonorũ nobilium in Gallia versati eius ubertate, deliciisq; prædicandis, spei omnes implevêre, qui vnius Cęsaris nutum exspectant, iam descripta itinera, depositi sunt commeatus, vt si miles noster in Germania pedem ponat, illa bellicosissimarum nationum examina, repetundarum iure Galliam peruadat, cùm intereà & Belgicus, & Germanicus miles partes suas sit acturus, è Pyrenæis etiam alia clades immineat, & ex Liguria classis. Tegunt ista Consiliarij Hugonottici, tegit Brandeburgicus, tegunt nostri, qui in Polonia negociantur, vt animos à Rege abalienent, ne scilicet nos animo cadamus, ne pendere aurum hæreticis desinamus. Quid hîc Danus, Brunosuicus, Mansfeldius, Bataviq; facient? Horreo illa quæ per meram quorundam lasciviam patriæ discrimina advocamus.

Extremum Galliæ periculum.

X. Detestabilior tamen eorum simulatio, qui tantis malis Iustitiam causæ prætendunt. Sed velum est hoc cupiditatis, Iustitię enim precium apud eos vile est, Omnia adeò rident iura, vt etiam

iam

iam Leonorium Carnotenſem coëgerint Cleri nomine, decretum falſariâ manu ſcribere, in quo & illud, ut exquiſitiſſimę, ita diabolicæ adulationis eſt. *Gallicę adulationes.* Ideo bellum eſſe iuſtum, quia rex iuſſit: Sed bene eſt, quòd coram tribus Cardinalibus, octo Archiepiſcopis, viginti octo Epiſcopis malè ſcripta ipſe reuocavit. Cauſam Palatini, ratio, legéſque damnant. Cæſari rebellavit, alienum regnum invaſit, quod in Germania crimen eſt Maieſtatis. Socer eius Britannus, Germaniæ Principes, nos ipſi damnavimus. Boium pro Electoratu commendavimus. Si Coronam Franciæ ſibi imponere Principum aliquis moliretur, nónne ipſe conatus ſupplicijs, cruciatibúſque plecteretur? *Non ſoli Franci perduelles puniunt.* Cui crimen Maieſtatis leve eſt, Regum eſt proditor, qui Palatinum alieni throni inſeſſorem defendit, cunctorum Regum hoſtis eſt, Tyrannorum Advocatus. Palatinum proſcripſit Cæſar, rata eſt ſententia, eam irritam reddere non eſt iuris noſtri. Nō ſubeſt Francicæ Maieſtati Auguſta Maieſtas. Si in Cæſarem id iuris nobis arrogamus, cur non Barnefeltij cędem, Lermei vincula ultum imus, reſciſsâ ſententiâ Iberi & Batavi? An Barbini exilium, mortem Anchræi ulciſci licuit Cæſari? ſi lilia noſtra libera ſunt alienis ſceptris, vt ſunt, erúntque liberrima, non poſſunt aquilæ ſub iura noſtra cogi,

——— *Nec Franco ſervire Leones.*

De Rhetis eadem cauſa eſt, eos damnavimus, de Zuccurello ſententiam dixit Cęſar legitimus Iudex, *Cęſaris cauſam probavit Chriſtianiſſimus.*

dex, eam armis noſtris convellere non poſſumus. Quando igitur Catholicorum iuſta cauſa eſt, aut ſanè nondum à nobis probatum eſt, iniuſtam eſſe, ſed iudicatum contra Palatinum pro Cæſare, cur cum nota iniuſtitiæ pro iniuria pugnamus?

XI. Miſeramur tamen nobilem exulem: Principem afflictum. Si iure exulat, reſtitui iure non poteſt. Si iniuriâ exulat, cauſam audiamus, Iudices legamur, noſtro enim enſe Iudices facere non licet. Verùm antè contra eum pronunciauimus. Si Diguerius Delphinatum, Crequius Occitaniam, Paſſompier Burgundiam, Schavenburgius Campaniam invaderet, an eos miſeratus Cardinalis defenderet? An eos miſeratus Hiſpanus, rogare Regem noſtrum poſſet, ut veniam reis, & priſtinam dignitatem reſtitueret? Larva eſt illa miſericordiæ in unum nocentem, crudelitas in omnes innocentes. Nocet bonis, quiſquis pepercerit malis, qui lupis parat epulum, mactat oues. Miſeramur exulem, & in exilio luxuriantem, non miſeramur cæſa, fame, frigore, morbis, fluctibus abſumpta intra menſes viginti, ſexaginta Gallorum millia? in quibus flos Gallicę militiæ & nobilitatis. Stilico ut purpurâ indueret Eucherium puerum, totũ Orbem ſanguine purpurare conſtituerat, conſilium, utriúſque morte, Deus diſſipauit; non minore culpâ Palatini reſtitutio tentaretur: Miſera Gallia quorum ſoboles in hoc educatur, ut pro unius hæretici purpura moriatur, Si miſeremur Palatini

Misericordia iusta sit oportet.

latini

latini perduellis, Tyranni, hæretici, cur non miseremur Cæsaris, totq; Principum & populorũ, quos neci destinamus & damus, ut in purpura fulgeat Palatinus? Si verè ergo virtutem sectamur, misericordiam erga innocentes iustam teneamus, erga nociturus noxiam omittamus.

Egenti succurrimus fateor; sed suo merito, alienis inhians, suis excidit Palatinus. Ambitione suâ multa hominum millia, & subditorum suorum plerosq;, fortunâ vitâque exuit. Tantam ruinam si opes nostræ sustentare & fulcire fortè possent, non tamen hunc nobis in usum datæ sunt, nec subditi nostri sunt spoliandi, ut peregrinæ ambitionis damna sarciamus. Iterum hîc Richelianam politicẽ requiro. Lex regnantium est. Vicinos divites colere, qui adferre aliquid possunt, regnúmq; ditare, pauperũ semper arrodentium, insuper auferentium fœdera vitare. Cur egentissimos contra divites fovendo, eos offendimus qui fovere nos possunt? Formam fœderum circumspice; tot millia literarũ accepimus, tot legati nos incursárunt. Omnium una vox est, *adfer, da amplius*; Veneti per Ordinarios & extraordinarios Legatos pro Rhætis poscunt, Contareni orationem recordamini. Sabaudus lachrymis per nurum, per filium magnas pecunias, magnos exercitus rogat. Batavus post magna subsidia maiora flagitat, post maiora, maxima. Britannus convitio nos appellat & rigidâ voce, navium raptu cogit dotem solvere. Omnes à minimo usq; ad maximum XII

Pauperum socius semper dat, nil accipit.

petünt, nemo teruncium, ad nostrum ærarium refert, tanquã pauperũ cohors circumstant, divitem regem, manúsq; tendunt & mendicant. Veneti ut suis rebus parcant, Helvetij ut transitũ dent, faveant. Covreus ne miles fame pereat, Diquerius & Crequius ut opes malè partas augeant, Britannus ut maritimum Imperiũ roboret, Hugonottæ ut pacẽ concedant, Batavi ne hæresin dimittere cogantur, & rapta restituere. Palatinus ut Catholicos trucidare, & cladem ulcisci queat, Danus ut latiùs regnet, Suecus ut Tyrannidem stabiliat, Brunosuicus ut dilapidet, Gabor ut Cæsarem inquietet, Mansfeldius ut Lanienæ destinatos nebulones colligat, Brandeburgicus ut Poloniam turbet, Hassus vt contra Tillium se vindicet. Ecce hi sunt regni fœderati, tot milliones expendimus, & tamen omniũ eorũ quàm antè, conditio est deterior, ut boues Ægyptiacæ devorarunt adipem nostrũ, & veteri squalore marcescunt, & nobis suæ macritudinis virus afflãt. Si vni ex his pecuniã negabimus imposterum, protinus ingentes erũt inimicitiæ, si erogare pergimus, mox fundo suspirabit nummus in imo. Vt verò sociorũ fortunam meliorem efficiamus, altero tanto opus est, sed certæ expensæ, incertus eventus, nisi quòd de malo timendum potiùs sit, quàm de bono sperandum; hactenus enim illis nihil nisi infelicissime cessit, auersa Dei mens. Id futurum est, quod factum est. desertis tandem egentibus, petacibus, nunquam satiãdis, palam amicis, clàm inimicis, qui-

bus

bus ne Persarũ quidẽ aurei montes satis esse possint, ad eos nos applicem⁹, quorũ societatẽ subditi nostri emergere, & reflorescere lilia valeãt.

Tantò autem propensiores ad amicitiam Catholicorũ nos esse convenit, quantò nobis & illis utilior est. His si amici esse volumus, nullo opus est sumptu, solo ad eos accessu, ab eorũ hostibus abscessu, duo illis maxima beneficia conferemus. Nempe ut hostiũ illos metu liberemus, & victoriam in manus tradamus, atq; ita illos æternâ nobis benevolentiâ devinctos tenebimus. Si enim nostram profundere pecuniã in hæreticos desinamus, iam Catholicos auxilio ingenti adiuvimus, & nobis pepercimus: Hæretici enim sine nobis nihil possunt; Catholici illos etiã totius regni opibus, & sanguine defensos vicerunt. XIII.

Quare necesse est Rupellâ venire ista consilia, quibus efficitur regnum debile, exsuccum, aridúmq;, ut tandẽ Hugonottis obsistere nequeat, ideo tot hirudines affigunt, cauéntq; ne vicinorũ, potentium, divitũ amicitiâ & consortio pristinas vires, vigorémque recuperet, neque enim alia causa Palatini patronis, atque Advocatis est, cur eius restitutionem urgeant, quàm ut Hugonottis quàm potentissimum amicum, defensorémque concilient, qualem Ludouicũ, Casimirũ, aliosq; eius Antecessores fuisse meminerunt. XIV.

Restitutio Palatini est Hugonottarũ victoria.

In publicum etiam dedecus, iacturámque regni cedit, summa militum, Nobilium, Comitum, Principúmque cum hæreticis familiaritas, & quod contra Catholicos alere iubentur odi-

um. Multi ex eorum castris & Provincijs domum redeunt vel Calviniani, vel Athei, pietatis irrisores, implentur talibus Urbes, Curiæ, Parlamenta, iungunt sibi Uxores hæreticas, Hugonottis obstricti sunt: quod quanto nostro fiat periculo, gratulor nos nondum expertos esse: Si Hugonottæ insolescere pergant non pauciores in nostris, quàm suis castris habebunt amicos. Si nobis mutuus cum orthodoxis sit amor, non modò militum, quos in acie Mars aut morbus absumit, salus esset tutior, sed reduces etiam cives orthodoxos, pios, Regi fidos, hostibus Regis inimicos experiremur: connubia etiam cum Catholicis iungere absque suspicione liceret, nunc si qui exteras mulieres inducunt, illę ferè hæreticæ sunt, & perniciosæ, si cum Danis & Suecis diutiùs commorabuntur, Franci etiam venenarijs regnum implebunt, ne ullum malum sit, quod hæresi acceptum ferre non oporteat: Sintque multi Buchingamij.

Societas hæreticorum, augmentũ est hæreseos.

XVI. Vetustis temporibus Nobilium, Principum, imò & Regũ filij ad opulenta Germaniæ Sacerdotia, dignitates, & Prælaturas admittebantur; nec immeritò: à Regibus enim Franciæ Ecclesiæ illæ initia, aut incrementa habuerunt: postquam societati hæreticorum illigati sumus, simultaté cum orthodoxis exercemus, hæreticos in eorum Ecclesias immisimus, ab illis penitus excludimur, non modò à Catholicis, sed etiam hæreticis; interim Belgæ, Itali, Poloni, Britanni admittuntur. Quòd si Regi nostro suaderetur, ut

Canonicatus Galli nõ accipiunt.

earum

tarum se Ecclesiarum amicum, patronũ, defensorem, profiteri dignaretur, hostem verò hæreticorũ eas oppugnantiũ, haud difficili negocio in potentissimis Archiepiscopatibus, Gallos Canonicos, Prælatósque videremus, quo nihil utiliùs cogitari potest, vel ad familiarum nobilium splendorem, vel regni utilitatem. Indolui cùm nuper in nobilissima Ecclesia Florentinos Canonicos; in alia, ex eadem Italia, Episcopos, in Silesia etiam Polonum Præsulem viderem. Amicis fidi sunt Germani, facilè sua alijs communicant, nos si dexterâ humanitate simplicem gentem tractemus, omnia facilè impetrabimus, etiam Gallos Electores, aut sanè Gallico nomini addictos, si modò eos qui prodesse coronæ possunt, colere in animum inducamus.

XVII. Nostra cum hæreticis perseverantia DEO displicet, omnia nostra, hæreticorúmque ille consilia corrupit, conatus elisit, iam tempus est, ut belli infelicis nos pœniteat. Alpes, Liguriam, Bredam, Caletum, Gades, Germaniam reminiscimini: nulla nobis victoria cessit, nisi contra Papam. verùm & nunc consilia fœderatorum tam sunt fatua, nostra tam incauta, ut salus servare ipsa nos non possit. Quæ dicam scriptis multorum, legationibus, re ipsâ, omnia luce meridianâ clariora sunt. In Rhætica iuga missus est Covreus, suspectus Helvetijs, exosus Venetis, belli dilator & Caupo; Veneti querelas premere maluerunt, nec omnes tamen, domi eum pro proditore traducunt. Illo duce nil

Hæreticorũ consilia imprudentia.

hil præclari geſtum eſt, nihil geretur. Digueſius auri quàm Sabaudi amantior, omnem occaſionem belli neglexit, milites perdidit, omnem retrò famam amiſit : Crequius avaritiæ probrum auxit, per hos nihil agi poteſt, cum maiore in odio ſint apud fœderatos, quàm hoſtes. A Sabaudo irritati delationibus, eum ſi poterunt, Genuenſibus tradent. Equitatum Brunoſuico commiſimus homini ſtolido, præcipiti, qui primâ ſemper die quâ hoſtem vidit, cæſus eſt; qui proximis diebus, ne cæderetur, ſtrenuè fugit, & quidem in prima acie inter velites. Alios Mansfeldio tradidimus, qui ſemper fugit, poſtquam ſemel transfugit, qui fame bis noſtrum militem necauit, & die 25. Aprilis anno 1626. Equitatus parte cæsâ, effusâ fugâ peditatum deſtituit, qui internecione deletus eſt, impedimenta capta. Iam Danus eſt columen militiæ noſtræ, Fabij æmulus & cunctator pugnam detrectat, ſocios perire mavult, quàm ſubire periculum. Nullum opus adhuc Imperatorium ædidit, niſi quòd ſemel cum toto exercitu fugit, ne videret hoſtem, ſemel partem copiarum occidendam obtulit. In Britannia credo felicior ſucceſſus? imò miſerabilior, lenti apparatus claſſis, contagio in caſtris, annonæ repetita corruptio, damna tempeſtatum, Ducum inſcitia, militum metus, Britannidas diceres non Britannos. Supremus claſſis ductor Buckingamus, (qui fuit Antinous, mox erit Eutropius) Vicarium periculi elegit, malè

malè res geſta, reducum mutuæ accuſationes. Deterior in occidente fortuna Batavorum, claſſis Anglo-Batavo-Perſica ad ſinum Perſicum, cæſa. In Anglia, Hollandia, diſcordiæ ſunt, Duces deſunt. Damnoſi nobis ſocij, qui ignauiâ, metu, imprudentiâ, temeritate, ſe ipſi perditum eunt, nos illos ſervare non poſſumus, ſuâ nos illi ruinâ facilè involvent. Circumſpicite omnes hæreticorum Duces. Nullus ullâ victoriâ inſignis eſt, omnes metu, fugâ, cladibus, amiſſo exercitu infames. Conſilia, prudentiam, fortunam Catholicorum aliam video. vicere ſemper, vicere parvâ, & aliquando ſine ulla ſuorum clade, vicere ſæpiùs. Cur ergo nos illis maledicimus, quibus benedixit DEUS. Cur irrita contra illos arma tenemus, quos anteit fortis armatus, Omnipotens nomen eius? cur eis fœderari nolumus, quos hoſtes timere cogimur, cùm ante oculos noſtros ſit fortuna bona, non eligimus bonum?

At erunt meliora; Duces fortiores. At ijdem ſunt, robur Militum & Tribunorum occubuit, ſuperſunt, qui fugere didicerunt. Si tamen boni ſint, vereor ut auro Hiſpalenſi, quod metamorphoſeis efficit, mutentur. Imber aureus in ſinus Ducum noſtrorum irrorat, illâ, pluviâ, non ſola Danaë violatur, ſuſpectus eſt Diguerius cum ſocio, ſuſpecti Palatiniani Collegæ, claſſem Anglicam nimbus putrefecit, Mansfeldij milites infecit. Nunc

Vis auri Hispanici. omnia nostra consulta, etiam paucissimis cognita ope Dedaleâ, magnetico auri tractu Hispalin transvolant; operosásque Bruxellas; nec fidem Francicam accuso, fœderati hæretici omnia venalia habent, & animam & nostram amicitiam, & literas, & consilia, & Regnum. Quacunque ex re lucrum captant, fas & merces apud eos diversa sunt nomina, res eadem.

XIX. Quorsum tamen ista disputo? non est liberum nobis Palatinum in integrum restituere. Divisione rem conficiam. Vel lentâ modicâque stipis erogatione Danum & Brunosuicum adiuvabimus, ut nuper quinquaginta millibus; vel pleno grandíque exercitu Germaniam invademus. Prior belli ratio propositum non obtinet, subditos enervat, amicos non promovet; dum enim bolum illum glutiunt, silent; mox fortiùs clamant: & quod datū est maius est, quàm quòd continuare possimus: minus quàm ut sustinere bellum possit. *Belli difficultas.* Perit ergò vt gutta iniecta ferro candenti, quod post strepitum elementi consumpti sæuiùs exardet. Altera ratio in omnia nos discrimina raptat. Nam si bello propalàm utimur; vel in Belgium, vel Palatinatum, vel Alsatiam, vel certè per Helvetios in Sueviam eundum est. ubique dura & anceps belli ratio. Belgæ iam parati sunt, erupturis similes, Urbes munitæ, pubes bellatrix, omnes clades duplicatò repositura. Palatinatum iam legiones Germanicę, Wallonicæ insident, oppida firmârunt, in agris nihil superest. Vicini Principes

cipes intra paucas horas, ad triginta millia in armis habere poſſunt. Eadem in Alſatia ratio eſt: In Sueviam non niſi longo circuitu pervenire noſtræ copiæ, compendiò tranſcurrere hoſtes poſſunt. Et Suevia tamen montibus, ſylvis, amnibus impedita eſt, viris armiſque potens, vicina Francia, Bavaria, Auſtria, & Alpium incolæ negocium faceſſent, præſertim iam parati: noſtræ minæ fecere ſolertes. Quanquam iam non de reſiſtendo, ſed inferendis armis deliberant, & omnia conſtituta habent, ſecretorum noſtrorum per Venetos, Batavos, Britannóſque gnari. Aurum revelat omnia arcana & alta cordium, etiam illa quæ vinum tacet.

Nec contemnenda eſt, quæ imminet Ponti- XX.
ficis excommunicatio, quâ percellentur omnes Duces militéſque, qui contra Unionem Catholicam arma ferent, nulli illis Eccleſiaſtici adeſſe valebunt. Fulmen illud multorum animos proſternet, turbas dabit; Epiſcopos inter ſe committet, nobilitatem ad prava conſilia impellet, fidem acceptâ occaſione Hugonottæ affligent, totum regnum diſſenſione ſcindetur, & quod fieri diſcordiâ ſolet, collabeſcet; quod ut numen averruncet toto animo, vocéque obteſtor. Et vos, ô Viri eminentiſſimi, hortor, ut hæc animis perpendere, deliberando excutere velitis. Hoc officium veſtrum dignitáſque poſtulat, hoc omnes Principes, Præſuléſque Galliæ, hoc Ciues, hoc innocens culti ruris habitator, à Rege ſapientiſſimo, iuſtiſſimo facilè

omnia impetrabit, auctoritas vestra cui cedent illi qui hactenus obstiterunt. Animos tandem Francos resumite, audete aliquando decernere quod displiceat Ditilocio, suum iam Richelieum in ordinem redigunt proceres Anglicani, vos regni nostri Buckingamium docete non altum sapere. Hæc vobis disputanda proposui voce omnium locutus. Interim nihil definio. Vestræ istæ partes: alioqui Veneti censuerunt, non posse contra Cæsarem aliquâ spe bellum geri, nisi arma Turcus moueat, quæ iam sunt impedita.



QVÆSTIONES PORRO IN CONSILIO AGITANDAS ORDINE PROPONAM IN GRATIAM EORUM, QUI HÆC OMNIA LEGERE NON POSSUNT.

QVÆSTIO PRINCEPS.

Vtrum facere fœdus cum Catholicis, an cum hereticis sit utilius?

QVÆSTIONES ANNEXÆ.

I. *An utilius sit fœderari amicis, fœdus optantibus, an osoribus?*

II. *An melius sit Dei hostibus, an amicis iungi amicitia?*

III. *Vtrum sit tutius, Regi Christianissimo cum orthodoxis, & secum in religione consentientibus fœdus habere, an cum Caluinistis, Manichæis, Barboritis, à quibus Antichristianus iudicatur?*

IV. *An cum illis qui sibi à Deo cædem Catholicorum imperatam credunt, tutò fieri pax valeat?*

V. *Vtrum Christianissimo sit honestius, cum Pontifice, Episcopis, Regibus, Principibus orthodoxis, an cum impiis contra hos pacta inire?*

VI. *Vtrum securius sit, fœdus pangere cum hostium nostrorum amicissimis, Aduocatis, fratribus, an cum hostium nostrorum hostibus æternis?*

VII.

VII. *An expediat vicinos habere amicos, & remomotos hostes, an è contrario præstet amicos esse trans mare, hostes in limine?*

VIII. *Quam prudenter hostibus nostris, nostris opibus potentissimos patronos contra nos paremus?*

IX. *An politici sit suadere, vt pro Exulibus contra potentissimos arma geramus?*

X. *Quàm vtile sit subditis nostris, pro egentibus, petacissimis, insatiabilibus, contra opulentos nos fœderibus illigari?*

XI. *An operæ pretium sit, plus opum in eos effundere, qui post tot milliones eorum causâ perditos, de nostra tenuitate queruntur.*

XII. *Quomodo excusari possimus, si quorum causam damnavimus, eos nunc defendamus?*

XIII. *Quod ius sit nostri regni in Cæsarem & Germanos, ut sententiam in rebelles eorum latam, ensi rescindere liceat?*

XIV. *An idem Cæsari ius in nostrum regnum, & cur non?*

XV. *An Tyrannum exulem, provinciæ vastatorem; an iustum Regem, & innocentes misericordiâ dignos potiùs iudicare oporteat?*

XVI. *An Cæsarem & omnes Catholicos in Germania occidere liceat, ut Palatinus sit rex Bohemiæ, aut Elector?*

XVII. *An prudenter eorum amicitia suadeatur, qui iam sex annos continuos vincuntur, nunquam vicerunt?*

XVIII. *An vtiliter nostra pecunia detur illis* Regi*bus, Ducibus, qui metu, ignauiâ, imperitiâ, te-*

meri-

meritate eam cum exercitu hactenus perdiderunt?

XIX. *An non meliùs sit, eos esse nobis amicos, quos Deus opibus, prudentiâ, fortitudine, perpetuis sine interruptione victoriis donauit?*

XX. *An regiones munitæ, paratæ, tutò inuadi possint?*

XXI, *An prudenter exercitus è regno educi possit, cùm hostes alij sunt in patria, alij prope patriam?*

XXII. *An non timenda sit diversio ab Istro, Savo, Vistula?*

XXIII. *An Papa fœderatis Catholicis possit milites nostros pro hæreticis contra Catholicos pugnantes excommunicare? an facturus sit?*

XXIV. *An ea res periculosa futura sit?*

XXV. *An prudenter Veneti censeant, belli nullos fore successus, nisi Turcus Austriacos invadat?*

XXVI. *An qui ista monet, & movet bonâ mente, reprahendi possit?*

XXVII. *An non præstet Cardinalem, alióśque sententiam mutare, quàm regnum perire? Tantum est. Valete.*

F I N I S.